



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 65. Fratrum Bohemorum Sectæ initia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

strandum docebat, cujus errorem Bohemi amplectebantur, postquam crebris disceptationibus ultro citroque habitis, tandem eis Basileense Concilium pacis studio Communionem sub utraque specie indulserat, edito hanc in rem concordiaë diplomate, quod *compactatum* appellare solebant. Verum progressu temporis his minime contenti, Calicem etiam infantibus recens baptizatis propinandum contendebant, & Rochisana eorum Coriphæus, & Presbyter, ac Jacobelli Discipulus, cum esset Vir ambitione tumens, ac Pragensem Archiepiscopatum aucupandi spe dejiceretur, omnibus viribus impedire nitebatur, ne Bohemi ad Ecclesiæ Romanæ sinum redirent.

§. LXV.

Fratrum Bohemorum Sectæ initia.

Ceterum Calixtinorum secta æque ac Bohemorum fratrum, qui veterum Taboritarum a Podiebracio exterminatorum funestæ erant reliquiæ, in Bohemia semper prævalebat, donec Lutherus ad suam hæresin hos & illos pertraxisset. Prius vero Bohemi Fratres suorum numero adeo excreverant, ut novæ sectæ societatem conflarent, cujus Antesignanum quemdam Sutorem, nomine Petrum

M m 2 Kele-

Sæcul. XVI Kelesiski, venerabantur, qui eisdem credendorum summam præscripsit; postea vero iidem Pastorem seligebant Matthiam Convaldum, Anno autem Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo sese a Calixtiniis separabant, eosque plusquam vatiniano insequabantur odio, aliosque sibi Ministros creabant.

Horum errores parum omnino ab Husitarum secta discrepabant; exsufflabant enim Missam, Transsubstantiationem, suffragia pro mortuis, cultum Sanctorum, ac præprimis lacebent auctoritatem summi Pontificis, quem Antichristum appellabant, Ecclesiam vero Romanam illam meretricem, de qua in Apocalypsi legitur, criminabantur. Tam crassæ erant ignorantia, ut omnes, qui ex aliis Ecclesiis ad eos accesserant, denovo sacro fonte abluerent, atque huic errori per integrum sæculum insisterent; ceterum Sacrorum ministerium non nisi meris laicis deferebant, in Missæ sacrificio solam orationem Dominicam adhibebant; abominabantur Ecclesiæ Romanæ Sacramenta; Scripturam velut unicam fidei regulam venditabant, in pane fermentato absque omni ritu celebrantes, Christum Dominum in Eucharistia minime adorandum tradebant; præterea nec Sanctos, nec eorum imagines

gines venerabantur, pro defunctis nullas preces persolvebant, celibatus sanctitatem, vota, jejunia, omnesque Ecclesiæ ritus rejiciebant, denique non alia celebrabant festa, quam Nativitatis, Paschatis, & Pentecostis solemnia. Hæc sunt illius sectæ deliria, quæ duo, aut tria hominum millia spargere præsumebant, & hi omnes pari odii ac seditionis insania Calixtinos, quos inter vivebant, simulque Romanam Ecclesiam, a qua sese avellebant, insectabantur.

Sæcul. XVI.
A C. 1504.

§. LXVI.

Prima sectæ professio Fratrum Bohemorum.

Calixtini, qui ab Ecclesia Romana solo calicis usu discrepabant, juncto cum Catholicis consilio Bohemos Fratres apud Wladislaum VI. detulerunt, eidemque præfati fratres hoc anno fidei suæ formulam tradiderunt, errores suos, de quibus accusabantur, vindicaturi. In eadem cum Orthodoxis admittebant septem Sacramenta pro adimplendis, quæ Christus fidelibus fecisset, promissis stabilita, eaque ex sacris paginis comprobabant, nec minus propugnabant etiam peccatorum confessionem tanquam rem lege præceptam: Præsentiam vero realem in Eucharistia hunc in modum profitebantur:

Bossuet ib. tom. 2. p. 300. In apolog. 1532. 4. part. apud Lyd. p. 295.

M m 3 tur: